

## Quintus Curtius Rufus, History of Alexander: *Historiae Alexandri Magni*

Rex armatis stipatus oppidanorum turbam post ultimos pedites ire iussit; ipse cum curru urbem ac deinde regiam intravit. Postero die suppellectilem Darei et omnem pecuniam recognovit. Ceterum ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo, sed etiam omnium oculos in semet haud inmerito convertit. Semiramis eam condiderat, non, ut plerique credidere, Belus, cuius regia ostenditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlito, spatium XXX et duorum pedum in latitudinem amplectitur; quadrigae inter se occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri L cubitorum eminent spatium: turres denis pedibus quam murus altiores sunt. Totius operis ambitus CCCLXV stadia complectitur; singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse memoriae proditum est. Aedificia non sunt admota muris, sed fere spatium iugeri unius absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt - per LXXX stadia habitabatur - , nec omnia continua sunt, credo quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur.